


Johann Nicolaus Tetens


**Natalem Friderici Dvcis Regnantis Mecklenbvgici ... Die IX. Novembris
MDCCLXV. Favste Redevntem In Schola Provinciali Hvivs Loci Pie Celebrandvm
Indicit**

Bvetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, Seren. Princ. Aul. Et Academ. Typogr., [1765]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1698320469>

Druck Freier  Zugang





MK-8813.



Vor
Pla
Pla
Pr
Na
Pr

Au
Pr

Vor
Pr
U

Pr
U
Pr

NATALEM
FRIDERICI

DVCIS REGNANTIS MECKLENBURGICI
SERENISSIMI

DVCIS ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI


DIE IX. NOVEMBRIS MDCCLXV.

FAVSTE REDEVNTEM
IN SCHOLA PROVINCIALI HVIVS LOCI

PIE CELEBRANDVM

INDICIT

IOH. NICOLAVS TETENS
PHYSIC. PR. P. O. ET SCHOLAE PROVINCIALIS
DIRECTOR.



BVETZOVII
TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.


N A T A L E M

F R I D E R I C I

DUCIS REGNANTIS MECKLENBURGICI
SERENISSIMI

DUCIS ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

DIE IX NOVEMBRIS MDCCXXV




IN SCHOLA PROVINCIALI

IOH. NICOLAUS TETENS

PHYSIC. PR. P. O. ET SCHOLAE PROVINCIALIS
DIRECTOR

R U S T O C H I A

TYPIS JOHANN. GOTTL. FRITZSCH, SENIORIS
IN ACADEMIA



Ex quo mihi iussu SERENISSIMI DV-
CIS REGNANTIS *clementissime* de-
mandatum fuerit, vt scholae huius
loci prouincialis curam gererem, &
inter alia, vt operas docentium di-
scentiumque dirigerem: ad id ante

omnia animum contuli, vt de ratione linguas docendi
meliori ac illa est, quam vsu & consuetudine vulgo
obtinere videmus, constituenda cogitarem. Vfus igi-
tur hunc in finem aliorum, qui de erudienda iuuentu-
te exposuerunt, consiliis, inter quos praeter b. GESNE-
RVM laudandus in primis mihi est illustris Auctor *lit-
terarum ad rem scholasticam spectantium* (*); cum intel-

A 2

li-

(* Quid prohibet, quo minus adponam nomen FAULLII, SE-
RENISSIMO DVCI nostro a *Consiliis Cancellariae*, quem
cum editore earundem litterarum, ill. AEPINO, virum-
que virum & rebus publicis gerendis & doctrinae studiis
celeberrimum, fautorem colo aestumatissimum.

ligerem, longe aliter plerosque horum virorum de *Grammatices* tractatione sentire quam illi, qui communem & in scholis vsitatam sequuntur viam: his ab illa initium faciendum esse existimantibus, illis ad extremum eandem locum reseruandam, & coticulae instar, vt GESNERI verbis dicam, demum adhibendam, hanc rem curatius examinari oportere arbitratus sum. Non enim ante quam de hoc satis constiterit, quaestionem illam, quae in scientia de rebus scholasticis in primis est, „quomodo linguarum notitiae quam facillime & „quam breuissimo tempore animis adolescentium in- „stillari queant, „enodare poterimus.

Quum autem de vulgari docendi ratione dicam, & hanc quoque subinde reprehensurus sim, ne damnatam simul suam quisque in scholis docens, putet methodum, quippe quam posse esse sanioerem, & communi licet in loco, communibus tamen carere naeuis non inficior, definiam breui, qualem hic sub vulgari velim intelligi. Sic vero cum pueris in scholis solet agi. Ordiuntur docentes a Grammatica, & exempla nominum, pronominum, & verborum, quae paradigmata vocant, cum regulis, genera nominum cuiusuis declinationis indicantibus, discentium memoriae obtrudunt magis quam mandant, nec hos ad vsum linguae ducunt, nisi exercitationibus istis, quas quid sibi velint iuuenes non intelligunt, ingenia eo vsque vexata sint, vt paradigmata illa qualicumque saltem modo, vt psittacus voces, sciant reddere. Nihil enim praeterea discipulis ante propinari posse, quam haec satis exhausterint, vulgo creditur. Sed tum quoque, cum ad in-
ter-

terpretandum verba quaedam, aut orationem quandam
& ad scribendum ventum sit, omnia iterum eo solent
dirigi, vt frequenti vocum resolutione, quam analy-
fin dicunt, Grammatices praecepta alta in mente re-
ponantur. In omni igitur hac instituendi ratione, si
vel maxime non omnino negligantur eiusmodi exerci-
tationes, quibus vocabulorum phrasiumque copia in-
struatur memoria, id tamen primum est & rei caput,
vt notitia linguae in pueris, admodum angusta licet,
fiat accurata & ad regulas Grammatices exacta atque
polita; secundo vero demum loco habetur, vt euadat
diues & copiosa.

Hoc vero artis institutum illi, quod natura
mentis humanae praecipit, videtur esse contrarium.
Conuenientius enim est, vt ante discamus loqui & scri-
bere omnino, quam loqui scribereque emendate, vt
teneamus ante vocabula, quam horum iustam coniu-
ctionem, & vt praecedat rudis quaedam plurium re-
rum cognitio, perfectiorem vnus cuiusdam intelli-
gentiam. Qui contra agunt, idem mihi facere viden-
tur, quod qui in aedibus exstruendis conclaue aliquod
singulare totum perficere atque exornare velint, cum
ne parietes quidem reliquorum proxime adiacentium
posuerint. Num haec neglecta deinde poterunt sic ad-
iicere, vt non multa simul priorum, quae confecta
sunt, destruant iterum, & magnam operae iam col-
locatae partem perdant?

Idcirco quoque est, quod tot tantaque ex hoc
peruerso docendi ordine provenire videamus incom-
moda. Nunquam enim impune a natura receditur.

Con-

* * *

Consumitur tempus, res pretiosissima illis, qui vastum artium scientiarumque campum emetiri cupiant; & ardor discendi iuuenum, idque in Grammatices initiis ediscendis, quae centies memoriae mandata, centies ex illa iterum excidunt: & integri collocantur anni in re quadam, quae debita ratione, iustoque ordine pertractata vix totidem dies exegisset. Accedit, quod cum in eiusdem generis exercitationibus, quae nec varietate nec amoenitate sua sese valde commendant, ingenium diu detineatur, fastidium & linguae addiscendae & omnis doctrinae in vniuerso tum illi iam creatum sit, cum ad lectionem scriptorum & rerum cognitionem peruenerit. Quid igitur mirum, quod deinde animos puerorum ab omni litterarum studio, in quod a natura feruntur, abhorrere videamus, eoque se cruciari potius, quam refici ac nutriri, persuasum habere? Num hoc Praeceptorum magis, an discipulorum vitio tribuendum?

Potest quidem haec methodus, quam *Grammaticalem* dixeris, QVINCTILIANI se tueri auctoritate. Ille enim cum legendi scribendique facultatem quis adeptus sit, primum vult esse locum Grammaticis, horumque notitia non communi & vulgari, sed intimiori puerum esse imbuendum. Grauius etiam in eos dicere videtur, qui hisce praetermissis ad alia festinent. „*Nomina declinare* (ita enim dicit) *& verba in primis pueri sciunt: neque enim aliter peruenire ad intellectum sequentiam possunt; quod monere superuacaneum fuerat, nisi ambiciosa festinatione plerique a posterioribus inciperent.* (*)

(*) In *Instit. Orat.* lib. I. cap. IV.

Fa-

Fateor maximi in hac re esse momenti QVINTILIANI sententiam, viri in erudienda iuventute exercitatissimi: at iuste hic proferri illam plures ob rationes dubito. Iubet quidem Grammaticam docendam esse, at quemnam? illum qui in oratoria arte institutus sit, & ornate dilucideque scribendi artem velit addiscere, ideoque linguae, qua velit uti, notitia aliqua instructus esse debeat: hunc praecipit ante emendate scribendo operam nauare oportere. Deinde pueris initia Grammatices vult esse cognita, cum ad reliqua subtiliora, quae sunt Critices capita, ducendi sint: quid inde nonne vulgaris notitia exactiori praemittenda, & num inde poterit cogi, in addiscenda lingua, primo ut emendata fiat, deinde demum ut amplificetur cognitio, nitendum esse?

Satis dictum est de methodo grammaticali. Hanc in eo peccare, quod proprium illi ab aliis eam distinguit, satis, credo, est in aprico. Videamus nunc, qualem viri doctissimi in locum illius substituendam esse voluerunt. Est autem eiusmodi, ut quemadmodum in vulgari ista primus locus dari solet accurrationi linguae, secundus demum copiae ac diuitiis eius, sic ordine interseo haec prius amplificandam, deinde poliendam esse eam in pueris praescribit. Exponam rem verbis GESNERI (*), breuius enim id fieri nequit: *Discantur (linguae externae) quantum eius fieri potest eo modo, quo sermo patrius, hoc est, usu primum ἁπλοῦς ῥησιῶν, in pronuntiando, intelligendo, atque interpre-*

(*) *Isagoge in Erudis. vniuers. p. 15.*

* * *

*tando, scribendo, loquendo, quae simul tentantur omnia.
Tum adhibeatur demum velut coticula grammatica.*

Nequit negari, hanc viam ad linguarum notitiam esse & mentis indoli magis conuenientem, & iucundiorē & breuiorē. Modo ne deficiat ductor, qui in illa bene versatus sit. Non enim certe, is eiusmodi esse debet, qui docendo ea prius ipse velit discere, quae alios docere eum oporteat. Esse autem hanc docendi rationem vulgari illa multo praestantiorē abunde confirmauit experientia. Nollem quidem quaecunq; promiscue allegari exempla eorum, qui hac ratione edocti celerius progressi sunt aliis, vulgari modo eruditis. Nisi enim methodo velis tribuere, quae ab aliis caussis, cum a dispari docentium vel industria vel dexteritate, tum a diuersis discentium diligentia, studio, ingenio & crebrioribus exercitationibus, nec non a singulari emortuarum linguarum, maxime latinae difficultate prouenire possunt: haec omnia ante paria sumenda sunt, & tum demum progressuum consideranda diuersitas, quam quid methodus efficere conferreque valeat, diiudicari queat. At tamen, si vel omnium horum habeatur ratio, remanent tamen sat multa exempla, quibus illud quod dictum est, possit doceri. Vnius enim vel duorum annorum spatium vberiorē hauriunt gallicae, anglicae aut italicae linguae notitiam per plurimi homines solo vsu edocti: nec vllam fere operae in ea collocandae sentiunt molestiam; cum puer contra qui in scholis multum sudauit & alsit, post decem & plures annos vix mediocrem linguae haustum potauerit.

Haec



Haec quidem vera; sed quantum ad Grammatices usum, moneri quid posse non immerito arbitror. Volunt ad extremum hanc reseruari locum, & tanquam coticulam demum adhiberi, eam, procul dubio ob rationem, quod Grammaticam soli accuratiori linguarum notitiae putent inseruire; cui vero tum demum studendum sit, cum amplitudinem quandam ipsa notitia iam acquisiuerit. Id autem est, in quo cardo rei vertitur, vtrum Grammatica poliendae tantum, aut an simul prouehendae facilius & amplificandae cognitioni linguarum seruire queat. Quodsi enim vltimum quoque daretur, nescirem, cur eiusmodi subsidio in initiis discendi discipulos priuari vellemus.

Consistit autem Grammatica in regulis generalibus, indolem naturamque linguae definientibus, quae ex obseruatis vocum similibus flexionibus in sermone vsitatis & ratione simili, qua cum aliis solent coniungi, collatis pluribus exemplis enatae ac collectae sunt. Id igitur commune illi est cum illo doctrinarum genere, quod scientiarum nomine ab aliis solent distinguere, quod vniuersalia contineat praecepta, ideoque vna vice id menti sistat, quod absque illorum cognitione ex multis exemplis comparatis, demum colligendum foret. Immo pro Philosophia quadam sermonis esset habenda, si regulae eius ea ratione possent connecti, vt singulae ex aliis omnesque tandem ex vnica vel pluribus, at numero paucis, primariis perspice-

B

ren-

Haec

rentur. Quid enim sibi volunt paradigmata nominum & verborum? Nonne compendia sunt plurium, cum vnico in exemplo magnam aliorum similitudinem comprehendant? Etenim si mensam declinare puerum doceas, hoc idem est, quod si ita dicas: habet lingua latina permagnam vocum copiam, e. g. *ala*, *penna*, *tinea* & sic porro, quarum flexio te, puer, nequit latere: harum autem omnium flexionem vna simul vice addices, si modo illam: *mensa* scias declinare.

Id vero praetereundum non est, Grammaticam de *forma* linguae solum praecipere, *materiam* autem, si ita vocare liceat, quam vocabula seorsim posita efficiunt, non curare. Quapropter nec Grammatica omnia linguae initia continere dicenda est, nisi iungatur illi tabula quaedam, qua vocabula primitiua cum deriuatis vsitatoribus, quae sunt vocum generalium instar, exhibeantur. At quoniam ad sermonem peregrinum intelligendum, maxime latinum graecumque, in quibus nimis distat vocum flexio & coniunctio ab illa, quae in vernacula nostra obtinet, tanti fere interest, vt flexio probe noscatur, quanti, vt vocabula teneantur; Grammatica in initio discendi adhiberi & potest & debet, si regularum vniuersalium ad notitiam in tironibus augendam vsus aliquis esse possit.

Sic igitur quaestio de Grammatices vsu abit in aliam multo generaliore[m] & scientiis communem, illam
lam



lam nempe: vtrum magis conducat in omni disciplina tradenda ordiri ab exemplis, ab vsu & rebus singularibus, & his demum redditis familiaribus ad generales progredi obseruationes, eo ordine, quo hae ex illis a primis auctoribus inuentae sint: aut an contrariam potius sequi oporteat legem, quae generalia praemittenda specialibus, & a summis ad inferiora descendendum esse, iubet?

Quemadmodum autem in vniuerso hanc causam ita existimo decidendam, vt generalia quidem adhibenda sint & proponenda, quo primum a discente queant intelligi, dummodo caueatur, ne nimis late illa pateant, vt specialia quo modo sub illis contineantur, clare satis atque distincte nequeat cognosci: sic quoque de vsu regularum Grammaticarum tenendum puto, vt in subsidium tironum vocari & in initio quidem possint debeantque, at illis tantum proponi, qui istis frui qualisque earum sit scopus, perspicere queant. Quodsi enim naturam mentis consulimus, simili ratione in veritatibus illi proponendis agendum esse videmus, quae oculo multa obiecta perlustraturo, haec quam facillime monstrari debeant. Quo editior autem est locus, ad quem oculus eleuatur, eo maior rerum simul conspiciendarum campus aperitur, eoque facilius est multarum rerum comprehensio. At cauere simul oportet, ne is, qui in locum editiorem deferri debeat, ascendendi in altum facultate sit destitutus, ideoque sursum



nitens retro delabatur in terram; tum ne sit omnino ignarus rerum, quas eleuatus aspicere debeat; deinde ne adeo debilis sit & inexercitatus, vt in alto positum vertigo corripiat; tandemque ne nimis longe a telluris superficie remoueatur, vt infra constituta aspectum effugere incipiant, & nihil prorsus videat, cui velis ostendere omnia.

Ac simili quoque circumspectione opus est in dirigendis ingeniis, nec generalia ante proponenda, quam vtendi illis facultate discentes instructi sint. Tum vero, cum ad id idonei inueniantur, magno erit operae compendio, si plures obseruationes singulares sub generali aliqua comprehensae, menti vna vice subiiciantur. Sic etiam dirimendam esse recentiore de vsu methodi *syntheticae* & *analyticae* in Philosophia tradenda, disceptationem, quam agitari nouimus, opinor.

Sed reuertamur ex lato hoc dicendi campo ad angustiore nostram regionem Grammatices. De hac nullatenus quidem dubito, eam in primis discendi initiis multa cum vtilitate posse tractari, & non solum tanquam coticulam poliendae acuendaeque notitiae linguarum in fine demum inseruire posse, sed etiam follis instar & mallei, ad formandam dilatandamque eandem adhiberi. At vero quam id fieri, debeat ratione, quibus discipulis & quo ordine, paullo nunc vberius exponendum est.

Id



Id autem primo velim obseruari, vt *Grammatices* compendio iungatur statim in principio *liber aliquis memorialis*, in quo voces *primitiuae* cum *deriuatis* & *compositis*, vel notabilioribus tantum vel omnibus naturali ordine exhibeantur. Illud enim solum non sufficere supra iam dixi: vtrumque vero coniunctum nucleus est sermonis addiscendi, memoriae erudiendorum inserendus.

Tum vero de optima ratione, qua breui illo linguae conspectu tirones imbuantur, dispiciendum est. Atque hic praecipuum id esse duco, vt in discendo non memoria solum, sed reliquae quoque facultates mentis, ingenium, iudicium ratioque, quantum id fieri possit, probe exerceantur. Quod enim in quacunque re accidit, vt eo facilius nobis haereat infixae, quo pluribus modis in percipienda ea occupati fuerimus, & quo pluribus facultatibus illa quasi fuerit subiecta: id quoque in linguarum studio deprehenditur. Videntur quidem eiusmodi disciplinae solius memoriae esse opus & hac sola nasci, crescere & conseruari, at falso certe. Etenim si illam vel maxime pro agro habeamus, cui inferenda sit vocabulorum phrasiumque copia; multa tamen alia facienda sunt ad semen bene collocandum. Et deinde quoque ea nostrae naturae est constitutio, vt frustra in parte aliqua perficienda ornandaque laboremus, nisi simul reliquae curentur, intendantur & incrementum accedat praeterea, vt cum alternis vicibus,

tum hi tum alii ingenii nerui intendantur, varietate quadam animus demulceatur, qui contra in eadem re eadem continuo ratione agitata, tanquam in eadem chorda semper oberrans, laboris fastidium effugere nequit. Non enim adeo ingrata res est linguarum studium, neque sua caret voluptate; & alienis caussis, maxime docendi rationi tribuenda est ea, de qua adolescentes haud raro queri solent, molestia.

Inde etiam est, quod adeo magna sit necessitas, ipsa *Grammatices* rudimenta cum vocabulorum indice, usu frequenti & exercitatione in loquendo & interpretando menti discendum imprimendi, & quod falso id breuius fieri posse videatur, si quotidie plagellae aliquot *vocabularii* & *Grammatices* pueris ediscendae imponantur. Istam autem exercitationem ita arbitror instituendam. Primo dictentur a praeceptore nomina quaedam rerum aut sub sensus cadentium, aut quae alias sint notissimae, eaque auribus & calamo excipiantur mandenturque memoriae. His adiiciendae sunt dictiones aliquae perbreues, quarum significatus tiro-nibus bene perspectus sit oportet. Notiores autem res ideo eligendae sunt, quod harum signa facilius a mente suscipiantur tenaciusque haereant. Id enim ubique obseruandum, eiusmodi scripta legenda atque interpretanda esse ad sermonem peregrinum inde discendum, quorum contenta legentibus non sint ignota, & quantum fieri possit, familiaria.

In

In istis autem vocabulis phrasibusque, tironibus in initio proponendis, videndum est, cum vt nomina & verba sumantur vulgaria & primitiua, tum vt idem vocabulum pluribus vicibus, in diuersis casibus, temporibus, personis & porro, & plures voces eiusdem flexionis occurrant. E.g. *pater dilectus, filius patris, amo patrem, laudo patrem* &c. Tum vero cum horum numerus coactus & memoriae impressus est, ad paradigma aliquod Grammatices erit progrediendum, quod tunc eo facilius totum ediscitur, quo plures nominis casus aut verbi tempora personaeque iam ante innotuerint. Et simili ratione in sequentibus agendum est sic, vt exemplorum, ad quae praeceptum vniuersale potest applicari, cognitio aliquis antecedit ipsam praecepti expositionem, & vsus regularum notitiam earundem. Multo enim facilius & vocabula & coniugationes declinationesque memoriae mandantur, & quaeuis alia res, si partes aliquae ante cognitae fuerunt. Nam admodum mens in agendo subleuatur, si nota ignotis, & facilia difficilibus hinc inde mixta offendat, cum illis tanquam areis scalarum vtatur, quibus se ex molestia in ascendendo reficiat. Hoc igitur ordine modoque si Grammatica coniungatur cum reliquis exercitationibus, lectione, interpretatione, locutioneque, misceaturque, ipsa non solum facillime addiscitur, sed magno quoque caeteris adiumento est laboribus.

Sed

In



Sed memoriam discendum etiam diligenter exerceri atque corroborari oportet. Et occurrunt multa, si viam praescriptam tenemus, quae eam otiosam esse non sinunt. Primo enim vocabula, phrasae, sententiae breues ediscendae sunt, & locutiones singulares, quae genium linguae ostendant, a quibus ad integras periodos, intellectu facillimas & dictionibus optimae notae abundantes progrediendum; Deinde Grammatices paradigmata & regulae, nec non libri memorialis vocabula primitiua aliaque vulgares; in quibus omnibus vero cogitandum, variationem delectare, ideoque ita agendum, ut singulis diebus sua quidem sint pensa ediscenda, genere eadem, specie vero diuersa, ut alia, inopinata & noua quotidie, quantum fieri possit, appareant.

Praeter haec autem uti in omni institutione, sic maxime in Grammatices tractatione, de qua hic nobis sermo est, ingenii & indolis erudiendorum ratio habenda est. Cum enim inter hos tantum interesse queat discrimen, quantum est inter infantem, nulla fere adhuc ratione utentem, & adultum inter, cuius iudicium maturitatem suam iam adsequutum sit, mirum non est, eandem docendi rationem, quae plurimis, mediae inter illos aetatis praescripta est, non omnino posse accommodari ad quosuis. In infantibus enim teneris, sermone imbuendis, omnis fere exulare debet Grammatica, hi solo usu edocendi sunt, qui vero ad
ac-

accuratiorem & vberiolem linguae vernaculae etiam notitiam nequeunt peruenire. Quod si e contrario iuvenes academicos habeas pro discipulis, aut alios, pleno ingenii rationisque vsu gaudentes, multo cum fructu a Grammatica initium fieri non dubito. Neque tamen hi quoque in singularibus Critices obseruationibus diu detinendi, potius communi rudimentorum notitia imbuti, sine mora ad legendos scriptores ducendi sunt. Non enim pro fonte sermonis habenda Grammatica, sed potius pro arte hauriendi, aut pro vase quodam, quo in hauriendo quis possit vti. At vero cum integrum filium, quo eiusmodi homines ad linguarum adyta duci debeant, persequi hic nequeam, id solum liceat adiacere.

Dantur in quacunque lingua, quae non memoria solum teneri, sed ratione quoque intelligi queant. Atque ea quidem cum in Grammatica, iisque quae ad ingenium sermonis pertinent, vbi flexionum, syntaxeos & modi construendi nexus quidam haud raro obseruatur, quo rite exposito plurimarum regularum possit reddi ratio ex aliis principalibus, vti in *Ebraea* docuit DANZIVS & qui hunc sequuti sunt, in *Gallica* nuperrime cel. COLOM. DV CLOS, in aliis alii; tum in vocabulis eorumque potestatibus, vti ex lexicis etymologicis constat. Haec sedulo inquiri & annotari oportet. Sic enim rationis vsu memoriae succurritur, quae crescente illo cum aetate, vigoris sui quid amittere & languidior fieri solet.

Restat adhuc dicendum, qua ratione illa, quae de linguis docendis hucusque dicta sunt, in publicis
C quo-



quoque scholis obseruari & ad usum transferri queant. Maior enim hic est discipulorum vna vice erudiendorum numerus, & magna ingeniorum & studii diuersitas: indeque multa videntur oriri incommoda, quae quominus singulorum institutioni debita opera nauari queat, impediunt. Posse autem his obuiam iri non dubito.

Ast vero abrumpam filum tenue exilis operis, nec VOS, *Lectores humanissimi*, nec memet ipsum, impatientes diutius detinebo in iis, quae, alio tempore vobis proposita, vestra forsitan haud omnino indigna attentione, iudicaturi essetis: in praesenti autem ad grauius & nobilius quid animum praeparantibus, leuissima videantur, necesse est. Missa igitur faciamus illa conferamusque potius cogitationes nostras ad pietatis officia, ad quae instans dies grauius adhortatur, quaeque postulat. Est ille *Natalis*, vt scitis, *Serenissimi nostri Ducis FRIDERICI*, fauste diuina gratia nobis rediens. Hunc autem pia, laeta, deuota grataque in summum Numen mente celebrandum esse, si quis alius ob Principum fata notabilis dies, VOS, *Lectores*, nobiscum non dicitis tantum, sed & contenditis & asseueratis. Quod si enim verum est, quod esse est certissimum, inter maxima, quae a benignissimo Deo hominibus queant conferri, beneficia referri debere Reges Principesque populorum iustissimos, clementissimos, sapientissimos & pacis felicitatisque subditorum studiosissimos: haec si vera sunt, quot quantaque non veniunt in mentem, quae ad preces & vota admoneant, inui-

tent,

tent, inducant, impellant? Optimum habemus Principem FRIDERICVM, iustitiae atque haud infucatae pietatis non amantem solum, sed sectantem & colentem; & cuius clementiae, patrii in subditos amoris, &, quod magnorum Principum proprium, summi in doctrinarum artiumque studia & horum cultores, fauoris innumera & praeclarissima, a feris nepotibus post saecula celebranda, existant indicia & monumenta. Ac inter illa, quid *Academia Fridericiana*, & *schola huius loci prouinciali*, quam vtramque fundauit, & publicas aduersus grauissimasque, quas hodie adhuc, pro dolor, gemit patria, calamitates tuetur, conseruat & nutrit; quid hisce potest esse aut luculentius, aut insignius, aut illustrius? quid gloriosum magis, quid magnanimo Principe dignius?


Spero itaque confidoque fore, vt VOS, qui hanc urbem incolitis, *Lectores*, celebrationi huius natalis, in auditorio scholae nostrae qualicunque instituendae, lubenter velitis interesse, & vota vestra votis iuuenum, qui publice dicturi sunt, adiungere; id quod simul enixe VOS rogo petoque obseruantissime.





Principe dignus? quid gloriolum magis, quid magnanimo
hauritus? quid hinc potest esse aut luculentius, aut insignius, aut
genit patria, calamitates tectum, consuetus & nutritus
ueteris gratulissimus, quos hodie adhuc, pro dolor,
pauca, quum utrumque turbavit, & publica ad-
inter illa, quid scilicet, & scilicet, & scilicet, & scilicet, & scilicet,
numera & praestantissima, a seis nequibus posside-
runt utrumque studiis & horum cultores, fauoris in-
magnum principum proprium, summi in doctrina-
eius clementiae, patri in laudibus amoris, & quod
tis non amantem solum, sed lectantem & colentem; &
petr. FRIDERICVM iustitiae acie habet iustitiae pietas-
tant, inducant, respiciant? Optimum habentis Princeps.

Spere itaque confidite fore, ut VOS, qui hanc
urbem incolitis, & festos, celebrationi huius natalis in-
audientis scholae nostrae qualescumque institutas, in-
demonstratis intellexit, & vota vestra, & votum
per publicae dignitatis, adhaerere; id quod hanc
nixe VOS rogo petoque obsecrantissime.










minum
, cum
multitu-
clinare
s: ha-
g. ala,
er, ne-
vna fi-
decli-

aticam
tem, fi
ta effi-
tica o-
iungan-
a cum
ralium
n pere-
umque,
tio ab
ere in-
ocabula
beri &
otitiam

abit in
em, il-
lam

lam nempe:
tradenda or-
ribus, & hi-
les progredi
a primis au-
potius sequi-
tenda special-
dum esse, iul

Quema
ita existimo
benda sint &
ant intelligi
pateant, vt
clare satis atq
de vsu regula
in subsidium
fint debeantq
qualisque ear
enim natura
veritatibus ill
oculo multa
me monstrari
ad quem ocu
spiciendarum
tarum rerum
ne is, qui in
dendi in altur



gis conducat in omni disciplina
nplis, ab vsu & rebus singula-
redditis familiaribus ad genera-
es, eo ordine, quo hae ex illis
mentae sint: aut an contrariam
gem, quae generalia praemit-
tummis ad inferiora descenden-

item in vniuerso hanc causam
m, vt generalia quidem adhi-
a, quo primum a discente que-
o caueatur, ne nimis late illa
o modo sub illis contineantur,
nequeat cognosci: sic quoque
naticarum tenendum puto, vt
ocari & in initio quidem pos-
tantum proponi, qui istis frui
us, perspicere queant. Quodsi
consulimus, simili ratione in
dis agendum esse videmus, qua
ustraturo, haec quam facilli-
Quo editior autem est locus,
eo maior rerum simul con-
eritur, eoque facilius est mul-
tio. At cauere simul oportet,
torem deferri debeat, ascen-
sit destitutus, ideoque fursum
B 2 ni